

---

# Hrotsvithae Opera (Latin Edition)

Hrotsvitha

---

**Title: Hrotsvithae Opera (Latin Edition)**

**Author: Hrotsvitha**

**This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.**



331.19

H873w







SCRIPTORES  
RERVM GERMANICARVM

IN VSVM SCHOLARVM

EX

MONVMENTIS GERMANIAE HISTORICIS  
SEPARATIM EDITI

HROTSVITHAE OPERA

RECENSVIT ET EMENDAVIT

PAVLVS DE WINTERFELD

---

BEROLINI

APVD WEIDMANNOS

MCMII

**HEROTSVITHAE**  
**OPERA**

---

HEROTSVITHAE OPERA

RECENSUIT ET EMENDAVIT

PAVLVS DE WINTERFELD

---

BEROLINI  
APVD WEIDMANNOS

MCMII  
\*0



YSAAD: 1978A-1

1 3849



*Hrotsvit<sup>1)</sup> nata est 'longo tempore'<sup>2)</sup> post mortem Ottonis ducis Saxoniae († a. 912<sup>3)</sup>, sed ante Gerbergam abbatissam suam<sup>4)</sup>, cuius pater Henricus Ottonis Magni frater a. 938 in matrimonium duxit Iuditham filiam Arnolphi ducis Baiuvariorum<sup>5)</sup>: his ex terminis profecti ad a. 935 fere deducimur. Puellam nobili sine dubio inter Saxones genere ortam<sup>6)</sup> in coenobio sanctimonialium Gandeshemensium instruxit Rikkardis magistra<sup>7)</sup>; deinde post alias etiam Gerberg<sup>8)</sup>, sodalis nimirum ingenio iam tum perspicui coepto, 'auctores aliquot, quos ipsa prior a sapientissimis didicit, eam admodum pie erudit'. Deinceps Gerberg abbatissa facta est<sup>9)</sup>; et, quae discipula fuerat, carminibus componendis operam dare coepit, 'clam cunctis, ne prohiberetur pro rusticitate'<sup>10)</sup>.*

*In primo, qui quidem nunc est, libro dedicationum prooemiorum perorationum ratione habita haec dignoscuntur corpuscula:*

- I = *Mar. v. 45—862<sup>11)</sup> cum prooemio (v. 13—44) et peroratione (v. 863—903).*
- II = *I + asc.; asc. caret prooemio, ut altera pars carminis prioris separatim numquam edita<sup>12)</sup>, perorationem habet (v. 147—150).*
- III A 1 = *Gong. cum prooemio (v. 1—18); peroratio propter turpe extremorum versuum argumentum omissa.*  
 2 = *Pel. cum prooemio (v. 1—11); perorationis loco sunt v. 411—413.*
- B = *II + III A 1 + III A 2 + Theoph.: Theoph. caret prooemio, ut pars libri Gerbergae iam abbatissae<sup>13)</sup> dedicandi; perorationem habet (v. 443—447), qua simul terminatur libellus; denique Hrotsvit praemisit dedicationem (Mar. 1—12), et orationem addidit ante cibum (Theoph. 448—455<sup>14)</sup>, postquam Gerberg opuscula sibi dedicata ad cenam praelegi iussit.*
- IV A = *Bas. v. 17—260 + Dion. + Agn. cum epilogo (p. 105<sup>15)</sup>; novam seriem texere incipiens*

*Hrotsvit praefixit prooemium (Bas. v. 7—16) ad Basilii historiam Theophilo similem<sup>16)</sup> accommodatum, cum Dion. et Agn.<sup>17)</sup> prooemiis careant; perorationes extant Bas. v. 261—265, Dion. v. 265 sq., Agn. v. 458 sq.; haec tria carmina praemissa dedicatione, qua item Basilii argumentum tangitur, rursus Gerbergae dedicavit.*

*IV B = praefatio (p. 2 sq.) + III B + IV; hanc syllogam post a. 962<sup>18)</sup> publicae lectioni destinata exhibet codex Monacensis.*

*Secundus liber sex dramata continet quae eodem videntur ordine composita esse quo in codice scripta leguntur<sup>19)</sup>. Praemissae sunt praefatio et 'epistola ad quosdam sapientes huius libri fautores', qui poëtriae primitias laudaverant: quorum nomina nec divinare licet<sup>20)</sup>. Gallicanum saec. XII, cum drama ecclesiasticum effloruit, scenis sollerter distinxerunt<sup>21)</sup> et in passionale Alderspacense receperunt<sup>22)</sup>: Hrotsvit ipsa de dramatis agendis cogitare non potuit<sup>23)</sup>. Inscriptiones, quas male argumenta dicunt<sup>24)</sup>, manu aequali in spatiis relictis exaratae sunt<sup>25)</sup>. De correctionibus manus secundae infra dicendum erit<sup>26)</sup>. Dramata excipiunt versiculi Bedae ex carmine in Aethylthrydam Anglorum reginam, qui si ad coenobium Gandeshemense pertinent, coemeterio inscripti fuisse possunt<sup>27)</sup>; qui deinceps sequuntur, ab ipsa Hrotsvitha facti ad duodecim picturas apocalypticas spectant: unde maximam eius auctoritatem fuisse consequitur.*

*Post dramata rursus ad epicam Hrotsvit conversa poësin gesta Ottonis Magni regis<sup>28)</sup> scriptis libris non usa<sup>29)</sup> celebravit: quod carmen ad a. 962 deductum<sup>30)</sup> ineunte a. 967 Gerbergae dedicavit, ut 'eius familiarissimo archipraesuli Wilhelmo' Moguntino, Ottonis Magni filio, praesentaretur<sup>31)</sup>; prologus ad utrumque Ottonem additus est duplex. Denique de constructione monasterii Gandeshemensis primisque eius abbatissis<sup>32)</sup> et de s. Anastasio et s. Innocentio papis monasterii patronis<sup>33)</sup> scripsit. De obitu eius non constat<sup>34)</sup>.*

*Codicis Monacensis lat. n. 14485 (olim s. Emmeramni E M CVIII<sup>35)</sup> hoc scema est: constat binione (fol. 1—3: ante fol. 1 unum folium ezeectum), novem quaternionibus (fol. 4—11; 12—19; 20—27; 28—35; 36—43; 44—51; 52—59; 60—67; 68—75), quattuor foliis singularibus (fol. 76. 77. 78. 79), tribus quaternionibus (fol. 80—87; 88—95; 96—103), ternione*